

Ratio suadet, quia fuit summus sacer-
dos in uete. lege, cuius autoritas audita
fuit ex cap. xvii. Deutero. Et regimen mo-
narchicum est optimum, & talis ordo est
in ecclesia triumphante, & sicut pulchre
inducit Nazianzenus, Moyſes in dubiis
prouidit ſynagogæ Deute. xvii. cur Chri-
ſtus non prouidiſſet ſuæ ſponſæ eccleſiæ?
Grego. li. xxi. moralium. Omnes homines
natura æquales genuit, ſed ratione meri-
torum, ordine alios aliis occulta diſpenſa-
tione poſtpoſuit, ipſa uero diuerſitas quæ
acceſſit ex una, diuino diſpenſatur iudicio
ut quoniam omnis homo iter uitæ non
graditur, alter ab altero regatur.
Deſiderat forte Hæreticus, eccleſiam mili-
tantem non habere caput miniſteriale, &
fiat in eccleſia quod ſcribitur Iudicū. xvii.
& xxi. In illis diebus nō erat rex in Iſrael,
ſed unusquiſq; quod ſibi bonum uideba-
tur, ſic faciebat.

Obiiciunt Hæretici.